



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. LIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

rum maculæ eluantur oportet. Feram, patiar, ut potero. Ecce ego, Domine, in flagella paratus sum; ac, si me percutias, interimas, deleas, si ad nihilum redigas, mitius mecum agas, quam mea postulent peccata atque flagitia. Satis bene atque præclare mecum actum erit, si non in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

C A P. LVIII.

Verum, non quiescet vox mea à ploratu, & oculi mei à lacrimis, donec de me animum patris accipias. Animadverti jam dudum, quantum insit boni in animadversionibus tuis. nam castigasti me, & eruditus sum; quasi juvenculus indomitus, confusus sum, & erubui: quasi equulus effrenus, constrictus sum, & succubui: virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt: quia per ea directum est cor meum in viam rectam, de qua decesseram, atque in eam opinionem adductus sum, ut crederem, me tibi in eorum numero esse, in quibus diligendis patriam tibi constitueris caritatem. nam quos diligis, corrigis & castigas. Quamobrem piissimam majestatem tuam cum lacrimis semper orabo, ut, si patris de me animum non habeas, accipias; si habeas, ut non ejicias.

C A P. LIX.

Verum, si filii apud te locum obtineo, jam quid futurum sit suspicor. Nam, cum iterum peccaverim tibi, & mandatis tuis non obdixerim, denuo congregabis in me verbera atque flagella: ego autem, quia, quæ sunt aspe-
ra ac